

solito stallo posito in prima sede ante capellanos eidemque imponi perpetuum silentium, ut semel tandem illius praesentio ita finem accipiat. Quare etc.

Nicolaus Gallus.

Juris. Pro capitulo et dignitatibus ecclesiae Melevisanae contra vicarium generalem.

Praecedentia et respective manutentio debetur capitulo et ejus dignitatibus, quia quoad primam partem licet sententia Abbatis cons. 21. lib. 1. praevaluerit opinioni, quam contra eum tuetur Menoch. cons. 51. n. 55. et seq. et subscribentes, non tamen locum sibi vindicare debet adversus consuetudinem, quam in materia praecedentiae omnino attendendam esse advertit bo. mem. *Fagnanus* in cap.: *cum certum* n. 16. ubi: etiamsi repugnaret dispositioni juris communis de majorit. et 60., *Zabarell.* cons. 62. n. 1., *Gratian.* discept. 298. n. 8., *Pignatell.* consult. canon. 19. sub n. 12. consult. 25. n. 1. et sub n. 4 et sub n. 10. tom. 4., *Sperell.* dec. 76. n. 3., *Seraph.* dec. 335. n. 3. et dec. 964. n. 1., *Mantic.* dec. 244 n. 2., *Bich.* d. 566 n. 9. et in recent. dec. 288. in fine p. 1. dec. 214 n. 2. par. 4. tom. 5. et dec. 156 n. 1. p. 17. et respondit haec S. Cong. in hac causa. Summ. n. 1.

Multo magis cum eadem non modo sit conformis consuetudini ecclesiarum vicinarum secundum quam cessante juris dispositione ut in casu nostro judicandum esse respondit Innocent. III. in cap.: *statuimus* 15. verbo: potiore prope finem vers.: sed videtur quod revertendum sit de majorit. et obedien., *Abbas* in cap.: *olim* n. 4. et 7. de consuetud., *Innoc.* in cap. fin. n. 8. de Offic. Archid., *Pignatell.* dicta consult.

25. n. 8., *Rota* dec. 389 n. 10., ubi quod recurritur ad regionem circumvicinam pro substinendo titulo ex consuetudine resultante p. 5. recent., quinimo consuetudini ipsius metropolitanae Panormi, Sum. n. 6., quae sicut aliarum ecclesiarum est mater ita justum est esse illarum magistram, canon: *de iis* 13. distinct. 12., canon. institut. de consecr. distinct. 2., *Ventrig.* de Jurisd. Archiep. cap. 81. n. 3.

Et totius Provinciae Regni Siciliae, Summ. n. 10., per quam certum est abrogari ipsas leges etiam generales et latas pro tota Ecclesia, ut advertit *Suarez.* de legibus lib. 7. cap. 18. n. 6. et lib. 8. cap. 8. sub n. 5. vers.: minor.

Consuetudo igitur nostrae Ecclesiae non solum est decennalis, quod sufficeret in iis, quae non sunt contra sed praeter jus juxta glossam in cap. fin. verb.: *consuetudo de consuetud.* in 6. *Innocent.* in cap.: *dum dilectus* de consuetud., *Pignat.* d. consult. 25. sub n. 11., ubi: quod per eam inducitur titulus praesumptus, *Cassad.* dec. 2. de caus. poss. et pret., *Sperell.* dec. 89 n. 23., *Rota* dec. 163. n. 4. p. 2. divers. et in recent. dec. 375 n. 8. p. 2. et dec. 214. n. 2., quae loquitur in materia praecedentiae p. 1. tom. 2., utique non controversa ab anno 1664, quo per sententiam A. C. falso declarato examine testium favore vicarii Bononiae examinatorum tempore quinque vicariorum et trium episcoporum dignitates et capitulum vicarios praecesserunt.

Sed immemorabilis, cum usque ab anno 1528, quo primo orta fuit hujusmodi controversia, productis pro parte dignitatum et canonicorum articulis ad protuendam antiquissimam consuetudinem, in cujus contrarium memoria hominum non existebat, quod

Vicarii generales Episcoporum ac capituli sede vacante, tam praesentibus ipsis Episcopis quam etiam absentibus, nullam omnino habebant praecedentiam sive in choro sive in aliis sessionibus et processionibus ratione muneris vicariatus, et super eis examinatis testibus, auctoritate metropolitana lata fuit sententia, qua declaratum fuit eisdem Vicariis propter vicariatus officium nullum locum competere, ut in summ. n. 6., de qua etiam sententia praevia testium depositione ut supra testantur historici Ecclesiae et respective Insulae Melevisanae summ. n. 7., quibus plenam fidem esse adhibendum advertit J. C. l. 1. vers.: a quibusdam scriptoribus ff. de offic. Praef. Praetor., Bart. in l. 1. n. 22. ff. si cert. pet., *Rota* coram Merlino dec. 817 n. 4., coram Coccino dec. 1867 n. 19. et in recent. dec. 93 n. 14. et dec. 353 n. 23. p. 5. prout successive alii testes examinati fuerunt de annis 1540 et 1545 summ. n. 8.

Eadem etiam immemorabilis post instauratam de anno 1661 eandem controversiam in hac S. Congr. a Vicario tunc temporis Bononia, altero ex modernis instigatoribus probata fuit cum omnibus suis requisitis per testes 22 servatis serv. vigore remissoriae dictae S. Congr., qui dantur summ. n. 4. Immemorabilis autem dicitur habere eandem vim, quam haberet privilegium apostolicum capitulo ejusque dignitatibus concessum, l. hoc jure § 7. ff. de aqua quotidiana et aestiva, glossa in cap.: novit., verbo: consuetudinem de judiciis, et in canone: conquestus 9. quaest. 3., et latissime probat *Suarez.* de legit. lib. 8. cap. 7. n. 5. et seq., *Rota* dec. 815 n. 3. et dec. 864 n. 2., 7. et seq. coram Coccino et in recent. dec. 671 n. 16. p. 18., et contra eam nihil esse innovandum constantissime semper respondit haec sacra Congregatio ut

penes *Pignatell.* d. consult. 25 n. 12. tom. 4.

Non obstant decreta favore Vicarii emanata primo de anno 1575 a Vicario apostolico et ultimo loco favore dicti Bononiae a s. Congr. prima Octobris et 3. Decembris 1661, quia illud visitoris non efficit capitulum ejusque dignitates non citatas easque sua possessione privare non potest ut respondit *Rota* dec. 802 n. 7. p. 1. divers. dec. 267. n. 12. p. 4. tom. 2. et dec. 64. n. 2. p. 11. recent. prout vere privatae non fuerunt ob continuatam semper eandem possessionem, ut ex dicta immemorabili successiva probatur.

Illa autem hujus s. Congr., cum emanaverint super depositionibus testium, quae nullam merebantur fidem, ut declaratum fuit per sententiam A. C. in criminalibus, sum. n. 3., laborant manifesta obreptione, ideoque nullius sunt roboris et efficaciae, cap. 2. de fid. Presbyt. in 6., Clementina prima de praebendis, *Rota* dec. 352 n. 8. p. 10. dec. 14. n. 25. et dec. 414 n. 4. p. 13. recent.

Nullum etiam ex dictis decretis aptum fuit sententiam in judicatum transactam et spatio 40 annorum et ultra observatam tollere dictam immemorabilem vel interrumpere, ut respondit *Rot. cor. Burat.* dec. 739 n. 3. et in *Rec. dec.* 136. n. 32. et seq., ubi: quod dempto per aliquam sententiam contrariam tempore finito semper remanet tempus infinitum per immemorabilem repraesentatum.

Unde cum Vicarius habeat in choro propriam sedem subtus illam Episcopi, primam scilicet in ordine capellanorum cum genuflexorio et tapete et locum in processionibus inter magistratum juratorum immediate post Archidiaconum et dignitates easdem processiones

claudentes, ut signanter deponit tertius testis d. n. 4. et alter num. 13., non debet alienum locum occupare, praesertim illum Episcopi absentis, ut in puncto declaravit haec s. Congr. in Brundusina penes Barbos. decis. apost. collect. 714. n. 5., nec novitates excitare quae ad totam provinciam Panormitanam regnumque Siciliae, in quibus eadem viget consuetudo, extenderentur, quas quidem esse periculosas et perniciosissimas juxta responsum Honorii III. in cap.: consuetudinis de consuetud., et *Innocent.* in canone: quis nesciat 11. diffinit. observ., *Pignatell.* d. consult. 25. n. 5. et consult. 64. n. 7. tom. 4. et in casu nostro satis demonstravit observantia.

Quoad manutentionem, cum possessio saltem a d. anno 1664 ut dixi sit incontrovertibilis, eadem denegari non potest vulgato § retinendae instit. interdict., *Bart.* in l. 1. §: quod ait praetor n. 14. etc.: uti possidetis, *Tho.* dec. 35. n. 15., *Buratt.* dec. 566. n. 5.

Absque eo quod considerari possint actus possessorii forsitan facti a d. Vicario Bononia ante dictum annum 1664 vigore dictorum decretorum S. Cong. anni 1661, quia superventa postmodum sententia A. C. in criminalibus, ut dixi, capitulum et dignitates eorum antiquam possessionem pacifice continuant et certum est, quod Vicarius per negligentiam possidendi per decennium propriam possessionem amisit ex theoria *Bart.* in l., *Celsus* n. 13. ff. de usucap., *Rota* decis. 378 sub n. 2. vers.: quia p. 1. div., *Burat.* decis. 604 n. 1. ibique *Alden.* n. 18. et seq., *Ubald.* decis. 437 num. 11. Quare etc.

Urbanus Spretus Adv.

Facti. Pro eodem capitulo contra Vicarium generalem in secunda propositione.

Postquam in hac causa prodiit decretum 28. Julii prox. pro praecedentia capituli in choro et processionibus Vicarius generalis Meliten. adversarius aegre ferens hanc S. Cong. resolut. adeo justam propter inconcussam et inveteratam consuetudinem Eccles. in causae discussione ostensam excogitare coepit modum, quomodo posset in futurum idem capitulum inquietare et supplantare decretum desuper factum; unde jactando velle amovere a choro consuetam et fixam sedem Vicariis assignatam in primo loco ante capellanos illamque asportare in aliam Ecclesiae partem et situare in eminentiori loco ejusd. Ecclesiae, cogimur propterea hodie recurrere ad *Emos PP.*, ut deinceps aliae removeantur conquestiones et scandala, humiliter supplicando mandari praevia confirmatione dicti decreti imponi eidem Vicario perpetuum silentium ipsique inhiberi, ne audeat d. ejus consuetam sedem amovere et alio asportare et speramus annuendum.

Nam quoad mutationem sedis Vicariis assignatam in primo loco ante capellanos, ejus amotionem et collocationem in alio eminentiori loco Ecclesiae, videtur omnino talis novitas prohibenda, tum quia Vicarius debet habere locum juxta consuetudinem Ecclesiae, quae non est mutuanda, ut respondit *S. Rit. Congr.* in una *Alexand.* 15. Martii 1608, tum etiam quia Vicarius non potest sedem arbitrio suo parare, sed debet sedere in sede solita Vicariis assignata, ut pariter censuit ead. *S. Rit. Congr.*, ut testatur et refert *Barbosa* in summ. apost. decis. collect. 714 n. 1. 2.

Quo vero ad confirmationem decreti et impositionem perpetui silentii nostra supplicatio undique videtur congrua et rationabilis et consequenter admittenda, ut finis liti imponatur et futura jurgia praesertim inter Ecclesiasticos

radicitus deleantur et tanto magis huius nostrae petitioni annuere supplicamus, tum quia pluries partem adversam provocavimus ad dicendam causam, ob quam decretum non sit ab hac Sacra Congregatione confirmandum et perpetuum silentium imponendum ut excitationibus et inclinationibus et intimationibus originaliter datis in fasciculo *Emi D. Ponentis*, tum etiam quia in rei veritate idem decretum est undique justum, ut fuit ostensum in praeterita nostra propositione, quatenus opus sit, benigne reassumenda et revidenda et illius justitia etiam ex abundantia hodie comprobabitur ex aliis rationibus infra adducendis. Et ob id cum nos habeamus justitiae fundamentum, cui idem decretum innititur, locus est confirmationi et impositioni perpetui silentii.

Justitia autem decreti redditur incontrovertibilis in casu nostro non solum ex quo numquam vicarii Episcoporum Meliten. ab immemor. tempore citra praecesserunt capitulo, sed capitulum illis perpetuo praecessit, ut in dicta nostra praeterita propositione, verum et quotidie docemus, quod Vicarius Episcopi de anno 1622, qui capitulo de more regionis non praecedebat, contendit primum locum habere adversus magistratum in processionibus, unde cum magistratus numquam in functione ecclesiastica praecedat capitulo, ut millies respondit ipsa *S. Rituum Congr.* ut testatur *Barbosa* in summa apostolicarum decis. collect. 460 per tot. et collect. 714. n. 24. et Vicarius d. temporis anno 1622 succubuerit in d. praecedentia cum magistratu, summ. n. 1. Ergo Vicarius non praecedebat eidem capitulo quia, si illi praecessisset utique contendisset de praecedentia cum magistratu capitulum non praecedente et tum praecedentiam obtinuit magistratus contra ipsum Vicarium, recurrit

eadem consequentia, quod illam non habebat contra capitulum et consequenter nec hodie habere poterit juxta axioma, si vincam vincentem te, eo fortius vincam te, de quo late mille ad propositum relatis tradit *Barbos.* tract. varii axioma 226. a n. 1. et per tot.

Ac insuper dicebatur in praeterita propositione ex adv. pro parte moderni vicarii quod post rumorem causatum anno 1661 et 1662 a Vicario Bononia tunc malis artibus occupante nostram praecedentiam, ut ostensum fuit in praeterita propositione, capitulum non docere praecessisse Vicariis generalibus minusque suam possessionem continuasse usque ad praesens et ob eam rem inferebat eidem capitulo praecedentiam non deberi; nam ultra quod hoc gratis asserebatur, veritatem praecedentiae capituli ejusque possessionem probarunt quoque quatuor testes, qui tunc per inadvertentiam fuerunt praetermissi et propterea dantur hodie summ. n. 2. et consequenter semper magis remanet inconcussa justitia decreti. Quare etc.

Nicolaus Gallus.

(Anal. J. P. 1865 n. 2294 p. 1268.)

Forolivien.

S. Rituum Congregatio ad preces Episcopi Forolivien. declaravit illius Vicarium generalem praecedere debere magistratibus ejusdem civitatis in omnibus functionibus, in quibus simul interveniant.

Die 24. Novembris 1668.

(Anal. J. P. 1865 p. 1155 n. 1844.)

Lucana.

Vicarius generalis Cathedralis Lucanae exclusus alias ad probandam praetensam per ipsum immemorabilem consuetudinem praecedendi Canonicos et Dignitates

etiam incedentes cum sacris vestibus proposuit modo pro obtinenda eadem remissoria jam petita tres articulos ad effectum illam facilius impetrandi, non se astringens ad actum tantum, quando Canonici et Dignitates sunt induti sacris vestibus, sed etiam indistincte probandi. 1. Ab immemorabili habuisse semper praecedentiam supra omnes de capitulo. 2. Etiam quando incedunt parati cum paramentis sacris. 3. Maxime absente Episcopo. Ex adverso capitulo replicante remissoriam petitam esse denegandam ex eo quia quoad primum articulum nulla est altercatio, nulla contentio, nulla controversia: et agens pro capitulo non impugnat, cum adsint super hoc plures hujus sacrae Congregationis resolutiones, quo vero ad alios duos, cum in effectu sit unus et idem articulus, non deberi remissoriam concedi, tamquam impertinentiam exorbitantem et irrationabilem, juxta alias per hanc sacram Congregationem in his terminis resoluta, utraque parte acerrime informante.

Sacra Rituum Congregatio ad relationem Emi Virilis re mature discussa respondit: remissoriam per Vicarium petitam non esse concedendam.

Die 7. Decembris 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 225.)

Ferrarien.

In causa Ferrarien. inter Vicarium generalem Illmi et Rmi D. Cardinalis Lenii Episcopi Ferrarien. ex una et Archipresbyterum et Capitulum ejusdem Ecclesiae ex altera partibus circa praecedentiam inter ipsum Vicarium et alias Dignitates et Canonicos ejusdem Ecclesiae, proposito hujusmodi negotio in sacra Rituum Congregatione et consideratis juribus et rationibus hinc inde deductis praecipue au-

tem consuetudine dictae Ecclesiae et Caeremoniali romano cap. 13. ante finem et cap. 23. in fine lib. 1. ac literis bo. me. Cardinalis Alexandrini sub die 23. Augusti 1593 necnon transactione sive declaratione anni 1595 et audita relatione in hac causa facta ab Illmo et Rmo D. Cardinali Lancelotto, eadem sacra Congregatio inhaerendo decretis alias in similibus causa factis, absente Episcopo, sine ulla contradictione censuit, praecedentiam dandam esse Vicario generali supra archipresbyterum et omnes alias Dignitates et Canonicos ejusdem Ecclesiae tam in choro quam in processionibus et in omnibus neque in hoc casu quando Episcopus abest, procedere aut suffragari capitulo allegatam consuetudinem, Caeremoniale, literas Cardinalis Alexandrini et transactionem sive declarationem praedictas, quidquid dicendum sit, quando Episcopus est praesens, super quo tamen nihil fuit firmatum.

Et ita censuit et declaravit. Die 20. Decembris 1614.

(Anal. J. P. 1863 p. 133.)

Vicarius generalis praesente Episcopo in die Purificationis non debet accipere candelam ante Canonicum vel Dignitatem, qui Episcopo ministravit: S. C. R. in Lucerina 14. Maii 1600 in resp. ad 3. dub. apud Barbosam: summa apost. decis. coll. 714 num. 21.

Vicarius generalis non est Prae-latus; licet absente Episcopo, cum in suo habitu ordinario cum subtana et mantelletto nigro sedeat in choro in primo loco supra Canonicos, thurificandus est duplici, non autem triplici ductu thuribuli. S. R. C. in Nepesina 15. Januarii 1627 apud Barbosam l. cit. num. 22.

Vicarius generalis thurificandus est, debet accipere candelam, palmam et cineres et adorare crucem ante et post capitulum juxta Ecclesiae consuetudinem: S. Congr. Rit. in Neocastren. 16. Januarii 1607 et in Alexandrina 15. Martii 1608 apud Barbosam loc. cit. num. 23.

Vicarius generalis in spiritualibus juxta Ecclesiae laudabilem consuetudinem debet semper in omni loco praecedere gubernatori civitatis in temporalibus, tam praesente quam absente Episcopo. Sacra Rituum Congregatio in Ravennaten. 28. Aprilis 1067 apud Barbosam loco citato num. 24.

Adnotatio.

De praecedentia Vicarii generalis non conveniunt Doctores. Vide *Manrique*, *Ferr.* de Praecedent. et Praelat. ecclesiast. quaest. 52 n. 2. et 3. Et quod notandum est, quisque pro sua opinione resolutiones allegat sacrarum Congregationum. Id ex eo evenit, quod in obscuro est, an, quae allegatur resolutio, ea innixa sit nuda juris dispositioni an peculiari illius Ecclesiae consuetudini.

Mihi autem ea semper arrisit sententia, quod Vicarius generalis in iis actibus praecedentiam obtinere debeat super ipsas ecclesiasticas dignitates, in quibus uti Vicarius generalis intervenit. Caeterum si res sit in actibus, in quibus non intervenit, nulla ipsi praecedentia debetur.

Atque hinc quod si Vicarius generalis Canonicus et divinis officis uti Canonicus interveniat, nullam obtinet praecedentiam ratione muneris Vicarii generalis. Confer *Du Casse* in prax. jurisdict. voluntar. et contentios. tom. 1. sect. 2. num. 1.

Dubitari vero contingit: an Vicarius generalis in illis actibus, in quibus intervenit uti Vicarius generalis, praecedentiam debeat obtinere praesente etiam Episcopo? Magis vero in hac quaestione variant doctores. *Affirmant Pignatell.* consult. canon. tom. 3., consult. 64. n. 3., *Robustierius* Rotae olim Auditor in quodam suo voto apud Gratianum discept. forens. cap. 3. num. 23., *Anton. de Pret.* de jurisdict. Episcop. cap. 6. fer. per tot., *Lotter* de re benefic. lib. 1. p. 16. n. 65., *Sbroz.* de offic. Vicar. lib. 2. quaest. 24. fere per tot., *Carol. Anton. de Luca ad Ventrigl.* tom. 2. adnot. 14. § 2. n. 1. *Negant vero Menoch.* consil. 51. et 217. utrobique fere per tot., *Marescot.* variar. resolut. lib. 3. cap. 69. pariter fere per tot. *Adde etiam Ventriglia* tom. 2. adnotat. 14. § 2. num. 19. et plur. sequent., *Ferr.*, *Manrique*, de praecedent. et praelat. ecclesiastic. quaest. 52. num. 6.

Responsio Autoris.

His, quae hic adducuntur circa praecedentiam Vicarii generalis, consonant omnino, quae tradita sunt superius, ubi ex variis decretis asserui, quod Vicarius generalis debet habere primum locum ante Capitulum, Canonicos et Dignitates tam praesente quam absente Episcopo, si interveniat uti Vicarius generalis, non autem si uti Canonicus et in habitu canonicali; et quia etiam circa hoc variant Doctores diversas afferentes hinc inde sacrarum Congregationum resolutiones, ad ipsas conciliandas servanda est cujusque Ecclesiae inveterata legitima consuetudo, *argument. leg. De quibus* 32. ff. de legibus, ibi: „Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur.“ *Et L. sed et ea* 35. ff. eodem, ibi: Sed et ea, quae longa consuetudine comprobata sunt ac per

annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minus quam ea, quae scripta sunt, jura servantur; cum similibus. Sicque etiam censuit s. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Mart. 1607 in respons. ad 3. dubium, ut jam tradidi ego in hoc art. n. 1. ibi: „Locus Vicarii generalis debet esse secundum consuetudinem Ecclesiae, quae non est mutanda.“

Praecedentiam deberi Vicario supra omnes de Capitulo, excepta prima Dignitate vel alio *repraesentante* Capitulum. N. 1057 die 12. Junii 1638; n. 2407 die 2. Apr. 1667.

Vicarium generalem non posse sibi *mutare* sedem, sed sedere debere in loco solito et consueto. N. 1184 die 19. Novembris 1639.

Semper et ubique deberi praecedentiam Vicario gener. supra Dignitates et Canonicos (quantumvis Protonotarios) tam praesente quam absente Episcopo, dummodo Vicarius general. incedat cum suo habitu *vicariali*, nempe cum subtana et mantello et nullo modo cum cotta, et dummodo Dignitates et Canonici non sint sacris vestibus induti. Num. 1330 et 1331 die 11. Maii 1641; n. 1538 die 26. Aug. 1645.

Ad dubium: An Vicarius gen. in choro, in Ecclesia et ubique praecedere debeat omnibus Canonicis et Dignitatibus etiam primae post pontificalem, sive Praepositus, Archidiaconus etc. vocetur, ac etiam in thurificatione ac cinerum, candelarum etc. distributione, quacunque consuetudine in contrarium, si adsit, non obstante?

S. C. resp.: In omnibus affirmative. N. 2835 die 2. Oct. 1677.

Vicario gen. quotidiano habitu induto sive, (si sit Protonotarius) cum rocchetto et mantelletto dandam esse praecedentiam semper et ubique su-

pra omnes Dignitates et Canonicos s. vestibus non indutos. N. 3194 ad 1 die 30. Julii 1689.

Assistentibus in choro Vicario generali et Praeposito praecedere debet Vicarius sed eadem praecedentia eidem non debetur, si Praepositus sit indutus s. vestibus aut si Vicarius sit simul canonicus et intersit in choro cum habitu canonicali. N. 4040 ad 6 et 7 die 21. Apr. 1736.

Episcopus ne sinat, Vicarium in choro et Ecclesia habitu canonicali indutum interesse, nisi partes Canonici expleret, si velit idem distributiones gaudere. N. 1757 die 19. Jun. 1655.

Vicarius generalis extra functiones ecclesiasticas, scilicet in sermonibus synodalibus altisque Congregationibus Dignitatibus et Canonicis praefendus est. N. 1799 die 10. Junii 1656.

Vicarium gen. semper praecedere debere Archidiacono cathedr. Aquilae in concionibus et quibuscunque aliis functionibus publicis, in quibus non lucrantur distributiones quotidianae et in quibus ipse Vicarius intervenit sine habitu canonicali et almutia sed simpliciter tamquam Vicarius. N. 2402 die 2. Apr. 1667.

Vicarius gener. Episcopi in habitu vicariali incedens in *associatione ejusdem Episcopi* praecedat omnibus Canonicis, si est Protonotarius, secus sin minus et tunc absteineat ab incedendo in associatione. N. 2503 ad 2 die 30. Maii 1670.

Vicario gen. semper et ubique deberi praecedentiam supra *Gubernatorem* seu Commissarium non Praelatum tam absente quam praesente Episcopo. N. 3239 die 20. Jan. 1691.

Tranen.

Quum in suis apost. literis in forma Brevis s. m. Gregorius Papa XVI. commiserit Rmo Anidren. Ep. administrationem Archidioec. Tranen. cum adjuncta Eccl. Visisiensi, ibi Vicarium gen. utpote suum Locumtenentem constituit, cui interdum ad chorum accedenti praecedentia denegatur quoad stallum ab Archidiacono, prima Capituli Tranen. Dignitate. Quod S. R. C. exponens idem Vic. gen. enixe rogavit ut formiter declararetur, an Vic. gen. in choro occupare debeat primum stallum ac proinde praecedere omnibus Dignitatibus? Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in ordinariis Comitibus, referente me subscripto Secretario maturo examine perpensis expositis ac aliis in similibus decretis respondendum censuit: „Juxta alias decreta Vic. gen. in choro et in habitu vicariali omnibus etiam Dignitatibus non paratis praecedit, excluso tamen Hebdomadario.“

Atque ita rescripsit ac in Metropolitana Tranen. Eccl. servari mandavit. n. 5076 Die 27. Feb. 1847.

Vd.: *Titul. Episcop.* (Pontific. exercens impedito. — decr. *Mediolan.*)

s) Praeced. in Synodo.

Ad dubium: An Vicar. gen. Protonotario debeatur in Synodo praecedentia supra omnes Canonicos et Dignit. habitu canonicali indutos?

S. C. resp.: Affirmative: secus vero quando Canonici sint induti s. vestibus. n. 3540 ad 6. die 23. Januarii 1700.

Vd.: *Synodus* (habitus).

t) Praecedentia absente Episcopo.

Vicario gen. in *absentia Episcopi* primus locus chori assignetur; sed ne

Archidiacono praepredicium inferatur, primus locus immediate post Vicarium a parte sinistra ipsi Archidiacono assignetur; secundus locus a parte dextera apud Vicarium Archipresbytero, tertius tertiae Dignitati et sic successive per ordinem, ita ut una quaeque Dignitas locum primum, secundum etc. post Vicarium occupat, qui primae, secundae etc. Dignitati convenit. *Praesente vero Episcopo et in absentia Vicarii*, quaelibet Dignitas sedeat in suo proprio stallo. n. 432 die 25. Sept. 1610.

Solam absentiam Archiepiscopi a choro vel ab ecclesia sufficere ad hoc, ut Episcopus absens dicatur et locum habeat consuetudo, ut Vicarius in absentia Episcopi praecedat Archipresbytero. n. 433 die 20. Nov. 1610.

Vd.: *Titul. Epis.* (Pontif. exercens impedito etc., decr. *Mediol.*)

u) Processionem indicit.

Vd.: *Processio* (Indictio.)

v) Reverentia et Obedientia.

Teneri omnes Canonicos tam exemptos a jurisdictione Ordinarii quam non exemptos facere solitam et debitam reverentiam Vicario generali existenti in choro. n. 499 die 11. Novembris 1614.

Nulla modo deberi obedientiam in choro Vicario generali seu capitulari absente Episcopo, antequam solemniter celebret, prout praestatur Episcopo praesenti. n. 961 die 21. Jun. 1632.

Vd.: *Chorus* (reverentia.) *Reverentia*; *Salutatio*.

w) Sedes.

Cf.: *Vicar. gen.* (praecedentia etc.); *Sedes Vicarii gen.*

6) Gener. apostolicus Ordinis.

Carmelitarum.

Vicarius generalis apostolicus suffixus in locum generalis demortui petiit declarari: an sibi debeat praecedentia in capella pontificia et alibi in concursu vicarii apostolici ordinis Praedicatorum, vivente suo generali? Sacra Congregatio respondit: Praelationem et praecedentiam in capella pontificia et ubique debere vicario apostolico ordinis Carmelitarum supra vicarium apostolicum ordinis Praedicatorum in casu proposito.

Die 22. Nov. 1631.

(Anal. J. P. 1863 p. 239.)

7) Gener. Protonotarius.

Vd.: *Vic. gener.* (praeced.)

Non licere Vicario gen. Protonotario Maceratensi uti in choro habitu Protonot. et lucrari distributiones, sive intersit sive non Episcopus; et neque diebus, quibus ab eodem Episcopo fit solemniter Capella, praetense usu et solito in contrarium non obstante. n. 2266 die 15. Mart. 1664.

Tamquam Protonotario licere Vicario gen. uti habitu Protonot. cum omnibus ipsi Protonotario competentibus, sed inter alios Protonotarios et in loco, qui Protonotario deberetur et in habitu Protonotarii nullam competere praesentiam uti Vicario. n. 2329 die 20. Jun. 1665.

VICARII PERPETUI

Basilic. Urbis.

Vicariis perpetuis Basilicarum s. Joannis in Lat., s. Petri in Vat., s. Mariae Transtiberim et s. Laurentii in Damaso competere in processionebus praecedentiam supra rectores parochos aliarum Ecclesiarum urbis, servata tamen alternativa solita inter Ecclesias

s. Mariae Transtiberim et s. Laurentii in Damaso. n. 3315 ad 1. die 13. Jul. 1639.

VICE-LEGATUS.

Vd.: *Praeses.*

VIDI AQUAM.

In aspersione infirmi et cubiculi tempore pasch. antiph.: *Asperges* non est mutanda in: *Vidi aquam.*

S. R. C. 11. Febr. 1702.

VIGILIAE.

1) Adventus.

Vd. *Nativit. Dom.* (Vigil.)

De Vigilia, quae occurrit in Adventu, nihil fit in Officio; in Missa, in qua de vigilia fit commemoratio, legendum est ejus Evangelium in fine, exceptis feriis quatuor temporum. n. 4401 ad 4. die 16. Febr. 1781.

2) Antiquitas et Institutio.

Vigilia est solemnioris Festi praeventio instituta in Ecclesia in praeparationem ejusdem festi, praesertim observatione jejunii ac nocturnae, ut antiquitas, vigilantiae in Dei laudibus. Antiquitas enim praeter jejunium solebant fideles tota nocte vigilare in Dei laudibus apud Ecclesias, quarum festa praeveniebant. *Quarti* part. 1. tit. 3. n. 2., *Merati* tom. 1. sect. 4. cap. 7. n. 1. et alii passim. Unde a sic vigilando ortum est nomen vigiliae, quod etiam nunc retinetur, quamvis non in omnibus vigiliis jejunetur et mos vigilandi de nocte, propter abusum, qui irrepserant, fuerit sublatus: *Concil. Sabinen.* cap. 22., ibi: „Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda saepe ac enormia sub hac boni specie commit-

tuntur, ipsas fieri de caetero firmiter prohibemus.“ Sic apud *Paravicinum in Poliant.* sacror. Canonum verb.: Vigiliae n. 3. Et sic tenent *Honorius in Gemma* lib. 3. cap., *Gavant.* part. 4. tit. 13. n. 1., *Durandus* in *Rationali* lib. 6. cap. 7. n. 8., *Quarti* loco cit. n. 2. et alii.

Dictae nocturnae Vigiliae vigerunt non solum in primaevis Christianorum temporibus sed in variis Ecclesiis Cathedralibus et altibus parochialibus continuarunt usque ad XV. saeculum, ut ex multis ostendit *Martene* in tract. de antiqua Ecclesiae disciplina cap. 7. n. 3. sequutus a *Merato* loco cit.

Unde *Vigilantius* Haeresiarcha sui nominis hostis, qui saeculo quarto temerario ausu Vigiliis improbat, confutatus fuit a s. Hieronymo, a quo per jocum dicitur *Dormitantius* et in *Concilio Aquisgrausens.* sub Ludovico Pio cap. 130 sic habetur: „Est autem quoddam genus haeticorum superfluas existimantium Vigiliis et spirituali opere infructuosas, dicentium jura temerari dei, qui noctem fecit ad requiem sicut diem ad laborem, qui haeretici graeco sermone Nyctazontes hoc est somniculosi vocantur.“ Ita apud *Paravicinum* loco cit. n. 1. in fine.

Vigiliae nocturnae vigerunt etiam ante Legem evangelicam tum apud Ethnicos tum apud Judaeos, qui duodecim horas noctis artificialis dividere solebant in quatuor partes aequales inter se, id est longiores vel breviores, juxta noctium longitudinem vel breviter; nam in aestate erant breviores, in hyeme vero longiores, quarum partes, stationes et vigiliae militares dicebantur; et harum quaelibet tribus horis constabat. Prima incipiebat ab occasu solis, et terminabatur in horam tertiam et dicebatur *Conticinium*; secunda incipiebat ab hora

tertia et terminabatur in horam sextam, et dicebatur *Intempestum*, tertia incipiebat ab hora sexta et terminabatur in nonam et dicebatur *Gallicinium*; quarta, quae proprie dicebatur Vigilia matutina, incipiebat ab hora nona et terminabatur in duodecimam, id est usque ad ortum solis, et dicebatur *Antelucanum*.

Praedictarum Vigiliarum mentio fit in veteri Testamento. De prima vigilia *Threnor.* 2. vers. 18: Lauda in nocte in principio vigiliarum. De tertia *Judicum* 7. vers. 59: Incipientibus vigiliis noctis mediae. De quarta *Exodi* 14. vers. 24: Jamque advenerat vigilia matutina. In Testamento etiam novo habetur multis in locis expressa mentio earundem vigiliarum, Lucae 2. vers. 8: Pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigiliis noctis. S. Matthaeus cap. 14. vers. 25. de Christo loquens ait: „Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.“ Et idem Christus Dominus *Marci* 13. vers. 35. dixit: „vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniat, sero an media nocte an galli cantu an mane.“ Quod hic dixit *sero*, intelligit primam vigiliam noctis. Quod hic dixit *media nocte in galli cantu*: Lucae 12. vers. 38. dixit „Si venerit in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit;“ et quod hic dixit *mane*, S. Matthaeus cit. cap. 14. vers. 25. dixit: *Quarta autem vigilia noctis.* Ethnicos quoque nocturnas Vigiliis celebrasse in honorem suorum deorum ostendit *Card. Bona* de divina Psalmidia cap. 4. Haec ad literam eruditissimus *P. Merati* tom. 2. sect. 3. cap. 7. sub num. 1. §.: Hujusmodi vigiliae.

Hinc tres *Matutini Nocturni instituti fuerunt*, ut responderent tribus vigiliis sive noctis stationibus, quibus ad orandum surgendum erat et Laudes,